



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punct. Difficult. 3. An unumquodque opus Theandricum, sufficienter
satisfaciat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

cederet à Filio, distingueretur à Filio? nec ex ea sequetur quodlibet: nego enim, quòd illa persona ita esset inimica Deo, ut non possit à se auferre suppositionem inimici, si velit.

DICES 2. Si ponerentur simul in homine peccatum & gratia, illius hominis opera non possent esse condignè meritoria vitæ æternæ, ergo nec in dicto casu, essent condignè satisfactiva opera Christi.

RESPONDETUR. Dubium esse antecedens apud aliquos, & negat illud Amicus disp. 6. Sect. 5. Disparitas etiam hæc assignari potest, quia in persona habente peccatum & gratiam, peccatum cum sit infinitum in genere offensæ, habet rationem principalis, trahitque ad suam conditionem, quantum potest, etiam actiones, saltemque destruit in illis rationem condigni. Si autem in Christo daretur per impossibile peccatum, & intelligatur manere Persona divina, habebit adhuc rationem principalis, adeoque poterit se reconciliare si velit. Addo, positâ aliquâ actione mala à persona regia, contra alium regem, si non intelligatur manere jam persona regia, sed effici plebeja, non habebit titulum, dignificandæ suæ satisfactionis, sed si maneat in eadem regalitate, aderit hic titulus: ita & in præsentia.

DICES 3. Illa opera essent profecta ab humanitate privata omni auxilio gratiæ: Ergo eo casu illa opera non essent condigna satisfactio.

RESPONDETUR. Posset illa persona restituere se ad auxilia gratiæ, adeoque facere se condignè satisfaciendum.

Punctum Difficultatis 3.

An unumquodque opus Theandricum sufficienter satisfaciat?

EUndem fermè titulum sic proponit Aldrete disp. 10. Utrum infinitus valor operum Christi, sit de se, in ordine ad præmium, tantæ excellentiæ, quantæ est dignitas Personæ Christi? Sensus utriusque tituli hic est: an omnia opera Christi habeant æqualem valorem? an scilicet unumquodque opus Theandricum dignificetur dignitate tantâ, quantâ dignificatur VERBUM? ac, quod sequitur; an unumquodque sit sufficienter satisfactivum, pro offensis mortalibus?

DICENDUM est. *Valorem operis Theandrici crescere proportionem arithmeticâ; & unumquodque esse sufficienter satisfactivum pro mortali.*

PROBATUR 1. Conclusio. Tum quia, si nihil obsit, opera Christi Theandrica sunt quàm maximè dignificanda, cum habeatur hujus dignificationis fundamentum in Patribus, ita merita hæc dignificantibus, ut visum supra; major autem haberetur valor, si verificetur conclusio. Tum, quia nihil obest, præscindi filum despicabiliter sentiendi de operibus Christi, deprimendi quod unum, comparatè ad aliud. Tum, quia non apparet, quid, si ab æquali principio di-

gnificantur, & quod indivisibiliter se habet in modo dignificandi, qui inquam hoc ipso, non habebitur jam fundamentum asserendi, quòd æqualiter dignificentur; & si fieri potest, ut non omnia crescant in dignitate æqualiter, poterit opus Christi, saltem infimè dignum, ab aliquo opere excellenter digno. alicujus puræ creaturæ, æquari: non enim erit ratio, cur jam ita decrescere non possit; & si recurras ad meram improprietatem, ex tali specie actionis oritur, ad eum modum, quo intellectio actionis etiam levissimam, æquare non potest intensissimam sensationem, restabit querere, cur non sit illa inæqualitas, sufficiens titulus asserendi, omnes illas actiones in ratione digni esse æquales, licet poni debeat inæqualitas, in ipsi rationibus materialibus.

PROBATUR 2. Omnia opera, quæ proficiuntur ab homine, sunt æqualia quoad valorem, ut censeantur pro operationibus hominis; Ergo & omnia opera Theandrica habebunt æqualem valorem; sicut enim illa sunt æqualia, quia illorum principium est homo, ita & hæc, quia principium illorū dignificativum est Deus.

PROBATUR 3. Tum, quia vel de singulis operibus Christi, verum est dicere: hoc opus est dignificatum dignitate increatâ, vel non de singulis; si non de singulis, ergo non erunt, ut supponuntur Theandrica; si de singulis, ergo æqualiter erunt omnia dignificata, utpote idem dignificativum habentia, nempe ex verificatione hujus propositionis; Est opus dignificatum dignitate increatâ. Tum quia, si non essent æqualia quoad valorem, deberet ostendi principium inæqualitatis: hoc non habetur ex principio dignificativo, sunt enim ejusdem suppositi divini; Non ex modo communicandi dignitatem, quia hic fundatur in unione substantiali cum principio eliciente, hoc est, natura. Tum, quia omnes actus divini immanentes, in se, substantialiter sunt æquales, ob identitatem entitativam eandem; Ergo & actus Theandrici erunt æquales, ob identitatem dignificativi, & modi dignificandi: & si unum infinitum non est majus altero, casu quò ponantur omnia opera infinitè digna, ut poni debent, hoc ipso omnia æqualia erunt.

OJICIT 1. Aldrete. Ob majorem gratiam habitualement, non crescit valor operis æqualiter; Ergo nec in præsentia.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia in casu antecedentis, potest haberi major & minor applicatio gratiæ, adeoque major & minor dignitas; non potest autem major esse applicatio principii dignificativi, quod est persona divina. Rursus, valor ille est finitus, non est autem necesse, ut unum finitum non sit majus altero; jam autem opera Christi sunt dignitatis infinitæ, unum autem infinitum, non potest majus esse altero.

OBJI-

Objicit 2. Idem. Stat optimè, merita Christi Domini esse valoris simpliciter infiniti, & ex majori gratia, non crescere valorem proportionem arithmetica: Ergo etiam stabit, merita Christi esse valoris infiniti, & tamen non crescere proportionem arithmetica.

Respondetur. Disparitatem esse: quia in casu antecedentis, non convellitur principium; Unum infinitum, non potest esse majus altero: quod convelleretur in casu consequentis. Deinde quamvis non crescat valor operis, proportionem arithmetica, ex majori gratia, potest esse meritum Theandricum infiniti valoris, quia habet principium dignificativum infinitum, cum communicatione idiomatum, se dignificans, quem titulum non habet gratia; jam autem si habetur dignificans principium infinitum, non poterit jam principium inæqualitatis assignari.

Objicit 3. Dignitas personæ, intra certam congruitatem operis, licet habeat vim elevandam, totam illam congruitatem ad rationem meriti condigni, non tamen potest elevare opus, ultra congruitatem ipsius, ut promereatur tantam excellentiam, quanta intelligitur in remunerante.

Respondetur. Etiam positâ æquali dignificatione operum Christi, secundum proportionem arithmetica procedente, non sequeretur, elevanda illa opera, ultra suam congruitatem. Nego item, non congruere eis excellentiam, quanta est in ipso remunerante; idque ex eo, quia dignificans principium meriti, est æqualis dignitati remunerantis.

Objicit 4. Idem. In creatis, licet quod majore est dignitas personæ operantis, eò magis, ceteris paribus, præmium augeatur; non tamen quodlibet ipsius opus censetur dignum, ut nobilitatem, seu personæ dignitatem omnino duplicet: Ergo idem in præsentis dicendum.

Respondetur. Quia in casu antecedentis est dignitas finita, intervenit item major vel minor applicatio, ideo habetur titulus minoritatis vel majoritatis; nihil horum est in casu consequentis. Deinde (quod etiam ad alias materias applicari debet) duplex est dignificatio, 1. ex principio, physice non intrante completionem substantialem ipsius operantis: talis est dignitas moralis: altera est dignificatio, petita ex principio physice intrante completionem substantialem; prior illa dignitas admittit majus & minus; quia illa sequitur conditionem moralitatum, moralitates defumuntur à circumstantiis, quæ non semper æquales, adeoque nec dignificatio ab illis pendens, erit æqualis. Jam autem, quando est dignificatio, ex principio physice intrante completionem substantialem, hoc ipso debent esse omnia opera æqualiter dignificata, quia influet in illa titulo physico; & quia non minus physice, hoc opus est hujus principii physici, quam illud, ideo non minus

dignificatur hoc, quam illud; cum dignificetur titulo complementi physici. Quia autem opera Theandrica à persona divina, intrante completionem substantialem, ideo illa semper æqualis dignitatis erunt; sicut omnia opera hominis, sunt æqualiter hominis.

Objicit 5. Non augetur ita valor operum Theandricorum, ut crescat ad dignitatem æqualem actus immanentis divini, & tamen est opus Theandricum infinitum simpliciter: Ergo & opera Theandrica, quamvis non sint æqualia, nec crescant proportionem arithmetica, adhuc erunt infiniti valoris.

Respondetur. In casu antecedentis, datur principium inæqualitativum, nempe defectus identitatis principii dignificantis, cum dignificato, quæ identificatio habetur in actu immanenti, unde de illo, verum est dicere, quod sit Deus, non autem de actu Theandrico; in casu autem consequentis, non potest ostendi principium inæqualitativum.

Instat. Inæqualitas in casu antecedentis, non debet peti, ex defectu identitatis; quia non est identitas, cum dico: Homo est Deus: & Deus est homo: & tamen verificatur hæc propositio.

Respondetur. Cum dico, Deus est homo: ly homo supponit personam, quæ eadem est Dei & humanitatis assumptæ, adeoque etiam hic est identificatio quoad personam. Ex dictis

Inferes. Si unum opus æquè est dignum ac reliqua, si reliqua sunt sufficienter satisfactiva pro mortali, etiam unum æquè erit satisfactivum.

DIFFICULTAS V.

*An satisfactio Theandrica sit ex rigore
justitiæ?*

Hæc quæstio tota fermè decisa est in materia de Justitia, ubi disputatum: An inter Deum & creaturam possit intercedere perfecta justitia? aliqua tamen adhuc expendenda in terminis, quos ordinariè auctores, nonnisi in præsentis, discutunt.

Quod ad statum quæstionis attinet. Non quæritur hic, an satisfactio Christi fuerit æqualis offensæ: in quo sensu veteres Theologi, hanc quæstionem, sub præfixi à nobis tituli terminis, examinabant, hoc enim jam decisum est supra; sed sensus est: An fuerit ex rigore justitiæ, hoc est servando conditiones ad justitiam, quæ specialis virtus est, requisita? porro nomine rigorosæ justitiæ, non venit justitia, prout opponitur metaphoricæ, in hoc enim sensu Christus ex rigore justitiæ satisfecit, non enim metaphoricè ejus satisfactio abolet offensam; sed nomine rigorosæ justitiæ, ut dixi, venit justitia, unâ cum omnibus suis conditionibus accepta.

In præ